



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 11. Miltizii Pontificii Nuntii colloquium cum Luthero

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A.C. 1519.

ac proprii honoris curam variis rationum momentis ingerere studebat. Exeunte Februario Miltizius in Saxoniam venit, remisse admodum exceptus, imo Elector Rosam auream nec privatim nec publice acceptare voluit, nec magis benevolas aures iis, quæ Legatus adversus Lutherum proposuerat, accommodavit. Equidem Pseffingerus, & Spalatinus Miltizio magis affecti videbantur: verum Germaniæ negotia tum horum studia adeo absorbebant, ut Papæ votis plene satisfacere haud potuerint.

§. XI.

*Miltizii Papæ Nuncii colloquium cum
Luthero.*

*Acta Luth.
cum Miltiz
t. I.
Cochl. l. cit.*

Igitur Miltizius prævalente eorum, qui Luthero favebant, potentia de prospero Legationis suæ successu desperans, non jam auctoritate, sed mitiori via rem aggredi statuit, cumque Lutheri arrogantiam Electoris præsidio indies augeri, probe cognosceret, ac Cajetanum Legatum nimis severitatis Romæ postulatam fuisse perpenderet, contrariam agendi rationem tenere, ac lenitate pertinaciam frangere consultius fore judicavit. Verum id consilii tanta abiectione, tamque insulsa assentatione executus est Miltizius, ut omnes ferme Historici eidem hunc modum

modum suo munere ac dignitate tanto-
 pere indignum objicerent: nam primo
 hunc hæresiarcham elogiis celebrabat,
 mox colloquio habito adversus Tetzeli-
 um Dominicanum, qui primus adver-
 sus Lutherum insurrexerat, vehemen-
 ter declamabat, dicere ausus, eum sedu-
 ctionis, cui populus implicitus esset, pri-
 mam extitisse causam; cum is ab Ar-
 chiepiscopo Moguntino aurum cumulan-
 di percupido ad tantam severitatem
 fuisset concitatus, ac demandatæ facul-
 tatis limites excessisset. Postea conver-
 so ad Lutherum sermone eum adhor-
 tabatur, ut ad reparandum, quod intulis-
 set malum, ex Ecclesiæ sententia de in-
 dulgentiis ad populum diceret. Huic
 reposuit Lutherus; haud levioris culpæ
 reum se fecit Pontifex, eo quod Mogun-
 tiæ Archipræsuli duos Episcopatus pos-
 sidere indulgit, quorum tamen rediti-
 bus non nisi ad saturandam suam am-
 bitionem atque avaritiam abutitur.
 Præterea idem a sua sanctitate ad ven-
 dendas indulgentias fuit compulsus, ut
 pecuniis inde collectis factæ gratiæ lite-
 ras, *Palliumque* redimere valeret; aliunde
 Leo X. Florentinis, quorum avaritia
 cunctis explorata est, penitus se addictum
 ostendit. Ejusmodi responsum Miltizio
 Lutherus scripto dedit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1519.